

privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias | sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii . . . abbas et conventus Cellensis Cisterciensis ordinis in Magdeburgensi provincia constituti tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iustitie consequentes universitatem vestram litteris petierunt apostolicis | excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare vel decimas laborum seu | nutrimentorum ipsorum spretis apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis, si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manu iniunctione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. De monachis vero et canonicis regularibus | id servetur, ut, si eiusdem claustrum fratres manus in se iniecerint violentas, per abbatem proprium, si vero unius claustrum frater in fratrem alterius claustrum huiusmodi presumpserit^{a)} violentiam exercere, per iniuriam passi et inferentis abbates absolutionis beneficium assequantur, etiam si eorum aliqui, priusquam habitum reciperent regularem, tale aliquid commiserunt, propter quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrissent, nisi excessus ipsorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem processum aut violenta manus in episcopum aut abbatem iniecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant preteriri. Si vero in clericos seculares manus iniecerint, pro vitando scandalo mittantur ad sedem apostolicam absolvendi. Villas autem, | in quibus bona predictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint^{b)}, quamdiu ibi sunt, interdicti sententie supponatis. Dat. Laterani non. | novembr. pontificatus nostri anno sextodecimo.

(B.)

27.

Papst Innozenz III. nimmt Abt Winemar und die Brüder des Zisterzienserklosters Alzelle in seinen Schutz und bestätigt die namentlich genannten Besitzungen, Rechte und Freiheiten des Klosters.

26. a) presumpserint A.

b) -nta fuerin- auf Rasur (2,0 cm): Korrektur von erster Hand mit derselben Tinte; darunter ein Korrekturzeichen (ij-förmig, kursiv) von hellerer Tinte A.